Stellanowicz Christoph: Quaestio metaphysica

A. D. O. M. G. A.

QVÆSTIO METAPHYSICA

Sub Felicissimis Auspicijs

Magnifici, Clarissimi, & Excellentissimi Domini,

D. M. FRANCISCI ROLINSKI,

Philosophiæ & Medicinæ Doctoris ac Professoris, Consulis Vrbis Meritissimi, & Studij Generalis Almæ Vniuersitatis Cracouiensis

RECTORIS VIGILANTISSIMI.

IN

Amplissimo Consessu Academico,

PER

M. CHRISTOPHORVM STELLANOWICZ,

Philosophiæ Doctorem, Artisticæ Facultatis Decanum, publicè ad disputandum

PROPOSITA.

In Aula Diuorum Jagellonum,

Lectorio DD. Theologorum.

Anno reparatæ Salutis M. DC. LVIII. Die. 9. 9bris *Hora.* 14

CRACOVIÆ,

In Officina Viduæ & Heredum Francisci Cezari, S. R. M. Typog.

JN STEMMA
ILLVSTRISSIMÆ ZEBRZYDOVIORVM FAMILIÆ.



Inſtaurate acies! reboet clangoribus æther
Mars tuus ad bellum, docta Stagyra ruat.
Ecce Futura parant mox Contingentia, dextras
Conſerere! in medio, ſtat Cataphractus eques.
Fer modò ſigna Patrone! venit Victoria Cælo,
Suppetias nôrunt, hæc ſacra Signa, ſacras.

JLLVSTRISSIMO ET MAGNIFICO
DOMINO,
D. MICHAELI
A ZEBRZYDOWICE
ZEBRZYDOWSKI,
SVPREMO REGNI ENSIFERO,
Lanckoronensi, Sniatinensi, &c. &c. Capitaneo, Domino suo Fauentissimo.

AD auspicatissimum futuræ Pacis præsagium, tripudiantibus Musis, post eiectum ex Vrbe & Orbe Polono Sueticum Martem, etiam me veluti Atyn elinguem silere non decuit Illustrissime Domine: non modò, quòd pace exoptata, cum reliquis Ciuibus Regni, perfrui videamur omnes, sed quòd Dei beneficio singulari, Serenissimi Regis Nostri victricibus armis, Ordinum Amplissimorum consilijs, mutos olim, contingit postliminio loqui. Dolebat enim, vehementerq; angebatur Academia; cùm videret, se non in eodem statu, in quo antea fuisset, esse relictam; nec sibi persuadere patiebatur, versari se tutò posse, in Philosophiæ arcanis enodandis, authoramento pacis, & tranquillitatis publicæ fructu, cuius Musæ pedissequæ sunt, omnino destituta. Ergo iam reuiuiscentibus illis, ad bene de omni Rep. sperandum, quasi signum aliquod, Reip. Lumina! extulistis omnibus: mihi verò præcipuè, Tuarum Illustrissime Dñe, virtutum, ac meritorum magnitudinem, hucusque suspicienti, hodie in pu-

blico easdem propalandi occasionem, ianuamque aperuisti. Quare venerabundus ad signa beneuolentiæ expansa accedo, Vexillumque Illustrissimæ Dominationis Vestræ, in Templo Honoris miraturus; Quæstionem de Futuris Contingentibus, quorum scientia soli Deo propriè, Creaturis autem, ex ipsius tantùm reuelatione, tribuitur, ad maiorem eiusdem claritatem, sub Patrocinio Armorum ZEBRZYDOVIANORVM, *ventilandam affigo. Mirabar ego magnopere antiquitatem, cur ariolos, Coniectores, haruspices, auspicia, diuinationes, tantopere obseruârit; vt nec Vrbem Orbis Dominam, Romulus condiderit? nec Imperia adierint alij? nec Græcia colonias vnquam miserit, in Aetoliam, Ioniam, Asiam, Siciliam, Italiam, sine Pythio, Delphicoque, aut Ammonis oraculo? nec adextremum, quicquam, publicè, domi, aut foris, sine ijsdem gestum fuerit? Sed causa sustulit admirationem patefacta. Quòd illi hac obseruatione, duos quasi scopos, religionis & pietatis, propositos esse voluerint: Vt qui nimirum veri Dei cognitionem ignorarunt, virtutisque splendorem, non satis, mente per incredulitatem excæcata, cognouerunt, anili obseruantia, religionem in Deum, pietatem in factis, raro exemplo testarentur. A mea opella Philosophica, gentiles procul abeste Historiæ! Non enim ex Assyriorum, Chaldæorumuè, aut Ægyptiorum obseruatione deducta est, sed ex veris, orthodoxæque religioni proximis confecta firmitatibus, in Vexillo* Zebrzydouiano, *antiquam religionem, fidem, virtutes, merita, & præclara facinora suspiciendo, veneratur. Maximus Philosophorum, Maximo Regum sæpius inculcabat: Quòd vetus & à Maioribus acceptus hominibus sit sermo; Omnia à Deo, & per Deum, nobis esse constituta. Quidni hæresim proculdubio saperet is, qui Illustrissimæ* Zebrżydouiorum *Familiæ, simile quid ingeminare auderet? Quæ à prima sui origine, Stemmate Gentilitio,*

sub

sub Boleslao Audace condecorata, non suscepit duntaxat & coluit, sed intulit religionis zelum. Quid enim commemorem FABIANVM Zebrzydowski *fontem sicut Familiæ, ita religionis* Zebrzydouianæ? *Quid* ANDREAM *auitæ pietatis decus? Qui literarum & experientiæ titulis tantum perfecit, vt in Episcopatu Camenecensi, propter admirabilem Eloquentiæ vim, legationis munere ad Imperatores fungeretur: quem merita ad Chelmensem promouerunt, virtus Cuiauiensem contulit, ac tandem prudentia & authoritate plenum, in Cracouiensi collocauit. Quid referam munificam liberalitatem, in Cænobiis Religiosæ Diui Francisci Familiæ instaurandis? in Hospitalibus, pauperum egestati subleuandæ construendis? in Basilicis Templisque pro cultu Diuino erigendis? Testis est Ecclesia, adeòque ipsum Hospitale* Zebrzydouiense, *magno sumptu, maiori liberalitate, maximo affectu, ægrotis curandis, extructum, dotatum, consecratum. Testis stupendus ædificijs sumptuosissimis, clarus miraculis, admirandus deuotione, celeberrimus frequentia Christianorum vndique confluentium, IESV CHRISTI Nomini dicatus, Caluariæ locus. Illustrissimus enim* NICOLAVS Zebrzydouius *Palatinus Cracouiensis Auus Tuus omni æuo memorandus, cùm sibi omnia à Deo & per Deum credita esse intelligeret, eidem in acceptis referendo omnia, & se totum, dimidiumque bonorum suorum elargiens, quantum religioni deberet, in hoc loco demonstrauit. An verò* IOANNES Zebrzydouius *Ensifer Regni Supremus, Parens Tuus Illustrissimus, pientissimam cogitationem non compleuit? Imò etiam adauxit. Tu iam Illustrissime Domine, cuius pietatem, vitam, actiones, oculis penè cernimus, in partem huius religionis, dicam apertè, in argumentum pietatis, Te mihi meritò videris offerre. Qui incredibilibus impensis, partim exornando picturis exquisitissimis, partim*

collapsa ædificia reficiendo, partim celeberrimi Templi & Monasterij mœnia ampliando, zelum zelo, & pietatem pietati Ecclesiasticæ accumulas. Iam verò meritis bellicæ laudis in sago partæ, quæ potest par oratio inueniri? Præteribo consultò IOANNEM *Castellanum Osuecimensem. Non commemorabo* NICOLAVM *hæreditate Wieczborsciana felicem. Sileri patiar* ALBERTVM *&* BARTHOLOMÆVM *Palatinum Brestensem. Tacebo* GASPARVM *&* ANDREAM *strenuum in Moschouia bellatorem. Non recensebo* FLORIANVM *Castellanum Lublinensem, toga & sago clarissimum, ad castrum Neuelense, Supremum Exercitus Regni Ducem, quadraginta millium Moschorum internecione laudatissimum. Illustrissimos iterum,* NICOLAVM *Auum Tuum, &* IOANNEM *Parentem, nec possum, nec debeo præterire. Quorum ille in Moschouiticis expeditionibus, Maiorum merita, propria virtute illustrando, ita Principis animum demeruerat, vt summis honoribus, ac dignitatibus primariis in Republica ornaretur: hic Bellonæ & Palladis alumnus, in bello Valachico, Moschouitico & Prussico, strenui propugnatoris; in Iudicio Tribunalitio, prudentissimi Marschalci nomen fuit consecutus. Fulgebat semper & fulget hodie, sub Vexillis* Zebrzydouianis, *iustitia, modestia, probitas, clementia, fortitudo, prudentia, quarum claritate splendebant Tyaræ, sellæ curules, & Tribunitiæ potestates. Verùm in Te Illustrissime Domine, longè splendidiùs, expressa refulgent, cùm auita tùm paterna virtutum ac meritorum simulachra. Quis obsecro Te ex animi magnitudine Themistoclem non appellabit? Qui præclarè factis Maiorum Tuorum, veluti ille trophæis Miltiadis, Te è somno excitari, sæpius demonstrasti. Quis ob amorem Patriæ Codrum & Horatium non dicet? Qui non modò sumptui ad campos Pilauecios, Zborouios,*

ac Bere-

ac Berestecenses, expeditione suscepta, non pepercisti, sed etiam Kostkouianis machinationibus, Te vitamque Tuam, ad Czorstinum, animosè obiecisti. Quis propter singularem prudentiam, Solonem non censebit? Qui peregrinationibus Europæis, linguarum peritiâ, Historiarum lectione, adeo clarus es, vt altera rerum vsum, altera experientiam incredibilem, vtraque prudentiam admirandam, Tibi peperisse videatur. Suspexit eximias Tuas dotes Tuumque animum ad Heroica quæque natum, S. R. Maiestas Dominus Clementissimus, cùm regimen totius exercitus in Palatinatu Cracouiensi aliis prætermissis, Tibi pleno iure contulisset. Quã præclara tunc, & quàm fausta illius exordia: imò faustissima. Præsidium Sueticum, miris artibus, & nouo Tuo Illustrissime Domine stratagemate, per Generosum Dominum IOANNEM Zarzecki *Vicepræfectum Tuum, tanquam instrumentum, subitò elusum, intra triduum ad deditionem coactum est. Quàm gloriosa media! Cùm tot captiui Sueci, in arce Lanckoronensi seruarentur, toties fusi fugatique, Tuo se arbitrio submiserunt, ita vt nihil auderent, nisi quod Tuæ Clementiæ iudicio firmaretur. Sed ô crudelis inuidia! ô Tyranne ex insidijs liuor! Tune vesana proles, ex Illustrissimo Regni Ensifero triumphare voluisti? Errasti mehercule. Etenim qui per te consequi, tum temporis, nihil potuit, hic ad latus Serenissimi Regis constitutus, non secus atque ad Kumeyki olim nostrâ memoriâ, contra Kozakos, mereri de S. R. Maiestate, de liberis, fortunisque communibus, properauit. Gaude igitur Illustrissime Domine, gaude inquam hac Maiorum Tuorum gloria, & proprijs fruere virtutibus. Si verò Tuarum virtutum ac meritorum, de Ecclesia, patria, & Academia, magnitudo, in hac schedula comprehendi non potest, tanquam prudens, grauis, modestus, mihique fauentissimus Censor, ignosce. Erubescit charta,*

Entibus Metaphisicis insignita, ad Tuum amplissimum compare-re conspectum; sed Tua singularis inuitat eruditio, vt speculationem Philosophicam, animo recreando pernecessariam, ad se iure quasi proprio, trahere videatur. Fateor exiguum esse quod offertur; Tuo tamen ingenio, atque occupatione, ad doctrinam Christianam propagandam, ad arcana Theologiæ reseranda, ad Hæreticos Zenonistas, omnia necessitate absoluta agi asserentes, quasi malleo tundendos, dignum esse existimaui. Non dubito igitur Illustrissime Domine, quin Te Alexandrum præstes in suscipiendo: Ille ex præda Dariana, Homeri carminibus, scrinium reseruari iussit: Tu ex amore in literas, & literatos, Tui Vexilli splendore illustratam opellam, sub eodem militare permitte, eandemque sinu benigno atq; liberali complectere, à me, si Deus vitam, annosque feliciores concesserit, maiora expectaturus. Viue felicissimè & diutissimè, futurum sperans, vt successore, in quo decus patriæ, Tuus proprius sanguis, antiquitatis specimen reluceat, augearis.

Ita precatur & vouet

Illustrissimæ Dominationi Vestræ deuotissimus

M. Christophorus Stellanowicz, Philosophiæ Doctor, Artist. Facultatis Decanus.

QVÆ.

QVÆSTIO METAPHYSICA,

V. Effectus futurorum contingentium, non solùm ab efficaci voluntate Dei, sed etiam à proxima Causa, vel ab aliquo immediato principio causabiles; tunc quando sunt, necessarii, vel contingentes dicendi; eorumque propositiones in materia singulari, determinatæ veritatis aut falsitatis esse possint, nec ne?

CONCLVSIO I.

PRæter necessarios effectus, dantur contingentes, tàm in rebus naturalibus, quàm in moralibus actionibus.

COROLLARIA.

I. *Non sunt immunes ab Hæresi, qui omnia ex necessitate fatali & absoluta, prouenire existimant.*

II. *Ex infallibili scientia Dei, non est inducenda necessitas, propter euitanda absurda in Theologia, atque etiam in Philosophia, tàm naturali, quàm morali.*

III. *Cum Diuina præscientia optimè stare possunt effectus contingentes, sine vlla destructione, aut dependentia vnius ab altero.*

IV. *Præscientia Diuina, ad effectus contingentes, habet se omnino extrinsecè, & non mutat causas rerum, sed solùm scit & intuetur.*

V. *Actiones & influxus corporum Cælestium, ab his inferioribus contingentiam non auferunt.*

CONCLVSIO II.

FVturorum Contingentium prima radix est, efficacia Diuinæ voluntatis, siue virtus Dei potentissima, in genere causæ efficientis

COROLLARIA.

I. *Materiæ potentia, indifferens ad esse, & non esse, excluditur à Causis futurorum Contingentium.*

II. *Efficacia Diuinæ voluntatis non concurrit ad effectus contingentes, tanquam Causa contingens, sed prout dicitur esse causa contingentium, vt vna est causa efficacissima, dans rebus virtutem, modum, & effectum.*

III. *Non est absurdum modificari actionem Causæ primæ, ad modum secundarum, ex sua electione passiuè, & in genere Causæ materialis.*

IV. *Quamuis motus Causæ primæ, necessariò influat in hæc inferiora; tamen effectus modificati, ad modum Causarum secundarum, erunt contingentes.*

V. *Non prius intuetur effectum Causa prima, quàm modificetur in secunda: Sicut Sol non prius intuetur fructus, quàm modificetur in arboribus.*

CONCLVSIO III.

ETiam causa aliqua inferior, est proximum principium & materiale Futurorum contingentium.

COROLLARIA.

I. *Causa inferior Contingentiæ immediata, est virtus languens, seu (vt alii loquuntur) defectibilis horum inferiorum; atque etiam libertas arbitrii.*

II. *Non sequitur quòd posita quacunque causa necessaria, effectus sequatur necessariò: licet enim Deus esset causa necessaria, lectio tamen erit effectus Contingens.*

III. *Cæli tanquam Causæ inferiores, siue mediatè, siue immediatè influant; ab vtraque tamen actione eorum, erunt effectus Contingentes.*

IV. *Actio Cælorum recipitur in inferioribus secundum conditionem eorum.*

V. Ex

V. *Ex parte agentis Cœli, non totalis sed partialis, in quantum à diuersis stellis, diuersæ promanant actiones, datur contingentia.*

CONCLVSIO IV.

FVtura Contingentia, quando actu sunt, nullo modo necessaria simpliciter dicenda, sed contingentia ex sua natura.

COROLLARIA.

I. *Necessarium est, quod nullo modo potest non esse: Contingens verò quod potest esse, & potest non esse.*

II. *Nullam inuoluit contradictionem, dicere aliquid esse & non esse; vel posse esse, & non posse esse.*

III. *Illud Aristotelis effatum: Omne quod est, quamdiu est necesse est esse, currit de necessario ex H pothesi.*

IV. *Contingens quod est actu, est necessarium ex Hypothesi.*

V. *Necessarium & Contingens sunt differentiæ Ens in communi diuidentes: si tamen necessarium ex Hypothesi, & contingens suapte natura intelligatur, non erunt contrariæ.*

CONCLVSIO V.

PRopositiones Futurorum Contingentium in materia singulari, neque sunt determinatè veræ, neque determinatè falsæ, sed possunt esse veræ, & possunt esse falsæ.

COROLLARIA.

I. *Eiusmodi propositiones, quæ non dependent ab aliqua de præterito, neque ab ea inferuntur, similiter se habent ad veritatem & falsitatem.*

II. *Nullam habent veritatem aut falsitatem determinatè, propositiones de præterito, à Causa variabili atque mutabili dependentes.*

III. *Hæc propositio de futuro Contingenti: Deus dixit AntiChristum futurum, habens causam inuariabilem, est determinatæ veritatis.*

IV. *Oracula, fidei mysteria, prædictiones Prophetarum, semper fuerunt determinatæ veritatis.*

V. *Licet neutra pars Contradictoriarum singularium sit determinatè vera vel falsa; tamen sub disiunctione altera pars est vera, altera falsa, nobis ignorantibus, num hæc sit vel illa?*

Iuncta vides Vexilla Cruci? Coniunctio firma est.
Signa ferunt pacem, Crux mala cuncta fugat.



Permissu Magnifici Domini RECTORIS.